



**A**Ndreas apud Noricos natus, & in omni genere literarū optimè educatus est. Is cum prima artium fundamenta locasset, hinc inde ad studiorū gymnasia profectus, bonis literis incubuit, atq; in primis lectioni historiarum & sacris libris euoluendis operam nauauit. in ijs etiam adeò profecit, ut uiris doctissimis in Germania adnumeratus fuerit. Scripsit is scholia in Cornelium Tacitū de situ, moribus, & populis Germaniæ, & 1529 Norinbergæ edidit. præterea Syluam biblicorum nominū, qua propria uocabula, quorum in biblijs fit mentio, explicantur. deinde etiam locorum scripturæ conciliationes, qui specietenus inter se pu-

gnare uidentur, idq; centurijs duabus, cum alijs quibusdam Theologicis Germanicè editis. Hisce suis lucubrationibus Andreas effecit, ut magnum sibi nomen compararit, atq; ingenij sui documenta posteritati declararit. Tandē inter uiuos esse desijt, & honorificè terræ mandatus fuit. Con. Lycost.